



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

Libri Quarti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

LIBER QUARTUS Decretalium.

Postquam in Libro Tertio Decretalium actum de Clericis & Regularibus, ac de rebus, quæ Ecclesiasticis & laicis sunt communes; GREGORIUS IX. congruo ordine in hoc Libro tractat de iis, quæ propriè spectant ad statum solorum laicorum, ac pertinent ad Forum seu Tribunal Ecclesiasticum, cujusmodi sunt Sponsalia, Matrimonia aliâque ipsis co-hærentia; (quia plerique laici in statu matrimoniali vivunt vel ad eum tendunt) nam Tridentinum *sess. 24. Can. 12.* definit: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Verum quia ferè omnia in Tribunali Pœnitentiæ scitu utilia & necessaria, quæ de iis in hoc Libro Quarto, ac Jure novo in Tridentino decernuntur, abundè tradita sunt in *Nucleo Theologiae Examinibus 28. 29. 30. & 31.* ad ea lectorem remitto. Pro exactiori tamen eorum notitia nonnulla Capita, præsertim pro Foro externo usumentia, ex sequentibus septem Titulis (quorum Rubrica videatur in

Elencho Titulorum Libri IV.) placuit
subjungere.

EX TITULO I. I. c. 2. „ Qui de matrimo-
„ nio contrahendo pure & sine omni con-
„ ditione fidem dederunt, & juramentum
„ fecerunt, monendi sunt & omnibus
„ modis inducendi, ut fidem præstitam
„ vel juramentum factum observent; si
„ autem noluerint, (ne forte deterius inde
„ contingat, ut talem ducat, quam odio
„ habet) videtur, quòd instar eorum, qui
„ Societatem juramento contrahunt, &
„ postea eandem sibi remittunt, hoc possit
„ in patientia tolerari. Unde sponsalia
etiam jurata mutuo partium consensu
dissolvuntur.

2. C. 5. „ Qui præstito juramento pro-
„ mittunt, se aliquas mulieres ducturos,
„ & postea eis incognitis se ad alias partes
„ transferunt, liberum erit mulieribus
„ ipsis ad alia se vota transferre. Si verò
„ aliquis sub hujusmodi verbis juramen-
„ tum mulieri præstiterit: *Ego te in uxore*
„ *rem accipiam, si tantum mihi donaveris;*
„ reus perjurii non habebitur, si eam no-
„ lentem sibi solvere, quod sibi petiit dari,
„ non acceperit in uxorem, nisi consensus
„ de præsentis, aut carnalis fit inter eos
„ commixtio subsequuta. Ex quibus patet,
ob diuturnam sponsi absentiam posse dif-
solvi

solvi sponsalia; imò si certum tempus ad-
 jectum sit sponsalibus, eo elapso sponsa
 poterit cum alio contrahere, quia tunc
 dies adjectus interpellat pro homine, &
 sponsum in mora constituit. *L. Magnam,*
C. de contrah. stipul. Si autem nullum tem-
 pus sit præfixum, relinquitur arbitrio Ju-
 dices, per quod tempus sponsa teneatur
 expectare sponsum; quanquam aliqui af-
 ferant, biennium exigi, ex *L. 2. C. de sponsal.*
 Alii, si justa & necessaria causa suboria-
 tur, triennium vel quadriennium, ex
L. Sæpe de Sponsal. Vide *Lac. L. 6. p. 3. n. 203.*
 & *seqq.* Deinde sponsalia conditionata,
 v. g. *Si Pater consenserit, si tantam dotem*
attuleris &c. per subsecutam copulam ex
 præsumptione juris transire in absoluta,
 juxta *b. C. & C. 5. de condit. appof.* Imò
 in locis, ubi Trident. non est receptum,
 sed clandestinè validè contrahitur, juxta
C. 30. b. t. „Is, qui fidem dedit mulieri
 „super matrimonio contrahendo, carnali
 „copulâ subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ
 „ducat aliam, ad primam redire tenetur;
 „quia licèt præsumptum primum matri-
 „monium videatur, contra præsumptio-
 „nem tamen hujusmodi non est probatio
 „admittenda; putà pro foro externo, quia
 est præsumptio juris & de jure; si ve-
 rò alteruter absolutè nolisset pro foro

interno se obligare, præsumptio cederet
veritati.

3. C. 10. „Cum N. Filium suum G. im-
„puberem Filiaë B. pariter impuberi de-
„sponsâisset, & hoc tam Pater quàm Filius
„juramento firmâssent, postea autem
„volente G. ad alia vota migrare, Pon-
„tifex rescribit Episcopo: Quia prædicto
„G. periculosum est contra juramentum
„suum venire, ut eum moneat & aucto-
„ritate Apost. compellat, ut ipsam, nisi
„rationabilis causa extiterit, in uxorem
„recipiat; si monitus parere contempserit,
„eum & Patrem, si fovere ipsum in sua
„malitia præsumpserit, excommunica-
„tionis vinculo astringat. Quia secundum
„jura delinquentes eorumque fautores &
„consentientes ad paria sunt condemnan-
„di. *Nec obstat* Cap. 17. h. t. „Ubi requisitus
„Pontifex, quâ censurâ compelli debeat
„mulier, quæ jurisjurandi religione ne-
„glectâ sponso nubere renuit? Respondit
„Cum libera debeant esse de jure matri-
„monia, monenda est potius quàm co-
„genda, cum coactiones difficiles soleant
„habere exitus frequenter. *Nam* ad con-
„cilianda hæc jura communiùs ajunt DD.
„in cap. 10. solum præcipi aliquam coactio-
„nem, si non occurrat prudens periculum
„mali secuturi, v. g. per Censuram (non
„fri-

strictissimam coactionem, v. g. incarcerationem &c.) à qua tamen etiam injustè resiliens, si constanter abnuat, est absolvendus, licèt non petat; econtrà si Judex prævideat jurgia vel alia mala ex matrimonio, cùm tunc rationabilis causa existat, invitum juxta Cap. 17. non esse finaliter compellendum, ne deficiat consensus ad matrimonium necessarius. N. D. Judex ex officio tenetur compellere ad reddendum unicuique, quod suum est, ergo etiam ad implenda sponsalia. *Nam R. D. C.* per coactionem aliqualem & moderatam C. per strictissimam & finalem N. quia expedit, ut Ecclesia ad vitandum majus malum utrique ex infelicibus nuptiis verisimiliter exoriturum admittat minus malum ex non impletione sponsalium alteri obventurum.

4. C. 29. „ Cùm inter Filium P. & Filiam T. impuberes sponsalia contracta
 „ fuerunt pœnâ solvendâ à parte, quæ
 „ contraveniret, appositâ in stipulatione,
 „ quam sponsus à sponsa resiliente niteba-
 „ tur extorquere, Pontifex rescripsit: Cùm
 „ libera matrimonia esse debeant, ideo talis
 „ stipulatio propter pœnæ interpositionem
 „ est meritò improbanda; quare mandat,
 „ eundem P. compelli, ut ab extorsione
 „ prædictæ pœnæ desistat. Hinc cõmuniter

docent DD. contra *Reiffenst. h. t. n. 188.*
& alios, pœnam contractui sponsalium,
sive inter puberes, sive inter impuberes
contractorum, adjectam, esse ipso jure in-
validam, estò foret juramento firmata,
quia est contra bonos mores talis promissio,
utpote repugnans libertati matrimonii. N. D. Sponsalibus licet apponere arrhas
ex communi consensu, ut injustè re-
filiens eas in triplum vel quadruplum
restituatur, nisi mulier sit minorennis, quæ
tantùm debet restituere ipsam arrham, ex
L. Mulier 5. C. de spons. Nam disp. est, quod
arrhæ maturiori consilio soleant apponi
propter earum in præsentem traditionem
& receptionem, nec sint regulariter ita
magnæ; proclivior enim quisque est ad
obligandum se verbo, quàm ad rem tra-
dendam. Deinde datio arrhæ non fit prin-
cipaliter ad impediendam libertatem ma-
trimonii, sed ut evidentius probari possit
consensus absolutus in vinculum sponsa-
liorum; e contra contrahens sponsalia sub
pœna non obligat se absolutè, sed alter-
nativè; hinc à principio vinculum non est
firmum, ac si postea consentiret, videretur
metu pœnæ consentire; & hoc sensu pœna
censetur principaliter tendere ad impe-
diendam libertatem matrimonii. Ita *Gonz.*
b. c. n. 7. Denique, ut ait *Herinx. p. 4. Tr. 5.*

D. I. n. 24. non currit argumentum à pari in jure positivo, quod de facto irritavit pœnas, non autem arrhas. Nihilominus quamvis Judex non possit partem injustè resiliens cogere ad solvendam pœnam sponsalibus adjectam, potest tamen eam compellere ad solvendum interesse, i. e. damnum quod altera patitur, & lucrum quod amisit. Ita *Gonz. l. c. n. 5.*

EX TITULO VII. I. C. I. „ Licet Canones „ habeant, ut nullus copulet matrimonio, „ quam prius polluit adulterio, & illam „ vel maximè, cui fidem dedit uxore suâ „ vivente, vel quæ illius mortem machi- „ nata est; si verò fœmina fuit inscia, quòd „ vir uxorem habeat aliam viventem, ne „ vir lucrum de dolo suo reportet, nisi „ mulier divortium petat, ad petitionem „ viri non sunt separandi. Unde ad impe- „ dimentum criminis requiritur, ut uter- „ que sciat de matrimonio saltem unius; „ nam qui ignorat, non infert injuriam illi „ matrimonio ignorato. Imò si utraque „ pars esset conjugata, & sic committat „ adulterium formale; si tamen utraque „ ignoret conjugium alterius, impedimen- „ tum non induceretur.

2. C. 8. „ Si quis uxore vivente fide da- „ tâ promittit aliam se ducturum, vel cum „ ipsa de facto contraxit, si nec ante nec „ post.

„post, legitimâ ejus superstitite, cognovit
 „eandem, non est matrimonium, quod
 „cum ea post obitum uxoris contraxit, di-
 „rimendum. Cæterum tolerari non de-
 „bet, si prius vel postea, dum vixerit uxor
 „ipsius, illam adulterio polluisset. Ex hoc
 inferunt DD. ad hoc impedimentum in-
 ducendum requiri; ut adulterium & pro-
 missio vel attentatio matrimonii concu-
 rant durante eodem matrimonio; non
 autem induci, si fiant in diversis; quia si
 adulter secundò nubat, eo ipso recedit
 à promissione facta, quòd mortuâ uxore
 velit illi Bertæ nubere; ac si adulterium
 cum eadem in posteriore matrimonio
 committat sine nova promissione aut
 econverso, non oritur impedimentum,
 quia debet eidem matrimonio & conjugii
 illata esse utraque injuria promissionis
 & adulterii. Vide *Nucl. Theol. Exam.* 30.
n. 6. Lac. l. c. n. 623.

EX TITULO XVII. l. c. 2. h. t. „Cum
 „vir & mulier publicè & sine contra-
 „dictione Ecclesiæ matrimonium inter se
 „contraxerant, & postea divortii senten-
 „tia Canonicè esset lata, sanxit Pontifex,
 „ut filii eorum, qui ante sententiam ipsam
 „nati fuerunt vel concepti, habeantur
 „legitimi, ac in bona paterna hæreditario
 „jure succedant, & de bonis parentum
 „suo-

„suorum nutriantur. Unde tales etiam post litem contestatam, utpote per quam non privantur usu conjugii, sed ante sententiam concepti (quia is, qui est in utero, pro nato habetur, quando agitur de commodo ipsius, *L. Qui in utero 7. ff. de statu hom.*) admittendi sunt ad Feuda, Majoratus, hæreditatem paternam & jus petendi alimenta; (quod tantum debetur illegitimis) secus, si clandestinè, i. e. omisiss Denuntiationibus, estò coram Parocho & Testibus, contraxerint, quia tunc in iis scientia impedimenti dirimentis & mala fides præsumitur, ut ait *Pirh. b. t. n. 6.* quamvis aliàs juxta R. J. in 6. 46. præsumatur ignorantia, nisi probetur scientia.

2. C. 6. „Tanta est vis Sacramenti, ut „qui antea sunt geniti, post contractum „matrimonium habeantur legitimi; si autem vir vivente uxore filium in adulterio procreâset, eâque mortuâ adulteram duxerit, filium fore spurium, & ab hæreditate repellendum Pontifex decernit; secus, si fuisset conceptus ex adulterio, & mortuâ uxore vir nubat adulteræ, partu necdum edito. Unde licet per subsequens matrimonium ipso jure legitimentur filii naturales, non verò spurii, i. e. ex coitu adulterino,

fa-

facrilego vel incestuoso ante matrimonium procreati. Nihilominus Pontifex potest spurios legitimare quoad spiritualia directè, & quoad temporalia indirectè seu per consequentiam, dispensando nimirum in Radice matrimonii ob impedimentum Canonicum invalidè à spurii parentibus malâ fide contracti, quia Papa per retrotractionem potest omnes effectus legis Ecclesiasticæ incurfos tollere, ac si talis lex nunquam fuisset edita, ut rectè *Gonz. ad c. 13. h. t. n. 22.*

3. Dixi 1. *Quoad temporalia indirectè*, quia cum Pontifex non habeat jurisdictionem temporalem extra loca suæ jurisdictioni subjecta, directè ad bona temporalia legitimare seu effectus illegitimitatis ex Jure Civili provenientes tollere nequit, (nisi ex causa ardua & urgente communi necessitate, juxta *C. 13. h. t.* & sic legitur sæpius legitimasse illegitimos aut spurios Regum) sed hoc spectat ad Principem sæcularem, qui tamen, licet possit illegitimos directè legitimare ad Dignitates & Officia sæcularia; eos tamen legitimare nequit ad successionem paternæ hereditatis cum præjudicio legitimorum, (nisi parens, dum vivit, ob justas causas id petat cum mentione filiorum, juxta *Pirh. h. t. n. 47.*) neque indirectè ad Dignitates

tates & Beneficia Ecclesiastica ob defectum jurisdictionis in causas spirituales & Ecclesiasticas. Dixi 2. *Ob impedimentum Canonicum invalidi*; quia si fuerit nullum ex Jure Divino, v. g. ob impedimentum ligaminis utrique parti notum, cum Pontifex radicem nullitatis per dispensationem tollere nequeat, nequidem indirectè talem spurium extra suum Territorium ad temporalia legitimare potest. Dixi 3. *A spurij parentibus contracti*; nam ubi nullum præcessit matrimonium, non est radix, in qua Papa dispenset; & ita ipsos filios legitimando, ad temporalia eos directè legitimaret. Nihilominus si prius ex libero inter consanguineos coitu filius sit genitus, & postea obtentâ dispensatione parentes matrimonium contrahant, & alium filium suscipiant, hic præfertur primo in successione Majoratûs, Feudorum, Fidei-commissorum Familiæ, &c. licet Pontifex dicat, se dispensare in radice matrimonii. Ita *Gonz. l. c. n. 22. N. D.* Legitimus per subsequens matrimonium succedit in Majoratus &c. ergo etiam talis. *Nam B. N. C. Disp. est,* quod legitimatio per matrimonium inducatur ab ipsa lege tam Canonica, quam Civili, & hinc à lege pro legitimo habetur, ac per omnia legitimè natis æquiparatur;

secus

secus est de legitimato per Dispensationem Pontificiam in radice matrimonii aut Rescriptum Principis, quia hæc legitimatio non est tantæ efficaciam, quam que fit per ipsam legem, à qua sola provenit discrimen legitimitatis & illegitimitatis, non à natura, secundum quam omnes æqualiter nascimur. Ita *Engel b. t. n. 14.*

4. C. 7. „Incongruum videtur, ut matrimonium Matris viri, an fuerit de legitimo matrimonio nata, impetatur, quod eâ vivente non fuit impetitum; putà, si nulla iusta causa interveniat; eâ enim interveniente etiam post mortem Conjugum civili iudicio, non criminali, matrimonium accusari potest, ut ait *Gonz. ad b. c.*

5. C. 14. „Cum vir in facie Ecclesiæ in uxorem duxerat mulierem penitus ignaram, quòd ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, ex qua filium susceperat; Pontifex in favorem potius prolis declinans filium reputavit legitimum. Unde si matrimonium non sit clandestinè contractum, ad plenam legitimationem prolis etiam ad temporalia sufficit bona fides unius partis tempore conceptionis vel nativitatis, non obstante malâ fide alterius Conjugis scientis nullitatem matrimonii. In his Forum Civile tenetur sequi
Jus

Jus Canonicum, cujus est circa matrimonia & exinde consequentia definire. Vide *Nucl. Theol. Exam.* 14. n. 4. §. Porro & Dixi. *An proles genita à muliere mense undecimo post obitum mariti censenda sit legitima?* Affirmat Engel h. t. n. 7. si concurrant certæ circumstantiæ & bona mulieris apud vicinos existimatio.

EX TITULO XVIII. I. C. 3. h. t. „Parentes, Fratres & Cognati utriusque „sexûs in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur secundum antiquas „consuetudines & leges, quia unusquisque suam genealogiam tum testibus „& chartis, tum etiam exercitatione Majorum melius aliis scire laborat. Quod „verò legitur, quòd Pater non recipiatur „in causa Filii, nec Filius in causa Patris, „in criminalibus & contractibus verum „est; in matrimonio verò conjungendo „& disjungendo ipsius conjugii prærogativâ, & quia favorabilis res est, congruè „recipiuntur. Vide *L. 2. T. 10. n. 2. T. 13. n. 4. & T. 24. n. 7. & 8.*

2. C. 6. „Si post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cum „non prodiêrit in publicum, quando Banna in Ecclesia edebantur, tempore autem denuntiationis extra Diœcesin exi-

Ll

„ste:

„stebat, seu aliâ causâ legitimâ fuerit im-
 „peditus, ut denuntiatio non potuerit ad
 „ejus notitiam pervenire, ejus accusatio
 „debet audiri; aliàs tanquam suspectus
 „est procul dubio repellendus, nisi pro-
 „prio firmaverit juramento, quòd postea
 „didicerit ea, quæ objecerit, & ad hoc
 „ex malitia non procedat; quia tunc,
 „etiam si didicisset ab illis, qui denuntia-
 „tationis tempore siluerunt, & ideo ab
 „impetitione hujusmodi excludendi, clau-
 „di non debet eidem, cum culpabilis non
 „existat, aditus accusandi. Matrimo-
 „nium accusare seu impetere dicitur, qui
 coram competente Judice Ecclesiastico
 instat, vel pro impediendo matrimonium
 contrahendum ob impedimentum impe-
 diens aut dirimens; vel pro dissolvendo
 contractum, sive quoad thorum ob sævi-
 tiam mariti vel adulterium uxoris, sive
 quoad vinculum ob impedimentum diri-
 mens, in quo non sit dispensatum.

EX TITULO XIX. I. C. 2. h. t. „Mulier
 „pro latrocinio, furto vel alio crimine
 „viri sui, nisi ipse eam ad maleficia sua
 „trahere nitatur, & fidei suæ religionem
 „corrumpere velit, non debet ab ea se-
 „parari. Verum si conjugem suam ad
 „maleficia traxerit, mulier à viro re-
 „cedere poterit & separari, ita quòd ei

„ alteri

„ alteri nubere non licebit; quia licet se-
 „ parentur, tamen semper conjuges erunt.
 „ In viris quoque præsentis sententiæ for-
 „ ma fervetur. C. 6. Si verò mulier à viro,
 „ labente in hæresim, eâ duntaxat inten-
 „ tione discessit, ut tædio pariter & con-
 „ fusione affectus se ab errore suo conver-
 „ teret, ad eum, cùm reversus fuerit, redi-
 „ re compellatur; si verò iudicio Ecclesiæ
 „ ab eo sine spe matrimonii redintegrandi
 „ recessit, ad recipiendum illum nulla-
 „ tenus est compellenda. Et C. 7. Si autem
 „ alter fidelium Conjugum vel labatur in
 „ hæresim, vel transeat ad Gentilitatis seu
 „ Judaismi errorem, in hoc casu is, qui
 „ relinquitur, vivente altero non potest
 „ ad secundas nuptias convolare. N. D.
 „ Si alter infidelium Conjugum ad fidem
 „ convertatur, altero vel nullo modo, vel
 „ non sine contumelia Creatoris, vel ut
 „ eum pertrahat ad mortale peccatum, ei
 „ cohabitare volente, qui relinquitur, ad
 „ secunda vota, si voluerit, transibit, ergo
 „ etiam in hoc casu, cùm major appareat
 „ contumelia Creatoris. *Nam Disp. datur*
 „ *in cit. Cap.* quia etsi matrimonium inter
 „ Infideles sit verum seu legitimum in ratio-
 „ ne Contractûs, inter Fideles autem ve-
 „ rum & ratum existit, quia Sacramentum
 „ fidei (id est Character baptismalis) quod

femel admissum nunquam remittitur, ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Vide *Nuc. Theol. Ex. 28. n. 3.*

2. C. 9. „Pagani seu Judæi, quia in
 „matrimoniis contrahendis distinctio-
 „nem Canonicam in consanguinitate vel
 „affinitate non attendunt, decernit Ponti-
 „fex, ut matrimoniis in infidelitate ad su-
 „scitandum semen fratris defuncti cum
 „relictis fratrum contractis utantur; pro-
 „hibens tamen, ne tales sibi de cætero,
 „postquam ad fidem venerint, copulen-
 „tur. Dispensat quoque, ut populus Livo-
 „niensis in quarta & ulterius generatione
 „matrimonium contrahant, donec in fide
 „pleniùs solidentur, non eâ intentione
 „concedens hoc ipsis, ut postquam firmâ
 „radice in fide fuerint solidati, talibus con-
 „jungantur. Et quia à Paganis, qui à Cano-
 „nicis Constitutionibus non arctantur, in
 „2. & 3. gradu licitè contrahitur, Fideles
 „in hoc gradu in infidelitate sibi matrimo-
 „nialiter copulati liberè possunt remane-
 „re conjuncti, cum per Sacramentum
 „Baptismi non dissolvantur conjugia, sed
 „crimina dimittantur. Nec inde sequi-
 „tur, quòd is, qui repudiatâ juxta Legem
 „Mosaicam primâ uxore, in infidelitate
 „aliam superinduxit, factus fidelis possit
 cum

cum hac remanere, quod reprobatur
 c. 8. h. t. *Nam* libellus repudii olim Ju-
 dæis permissus (an tanquam licitus, an
 solum tanquam minus malum ad vitan-
 da majora? controvertitur) jure Divi-
 no, seu per Christum, *Matt.* 19. sublatus
 est, qui matrimonium ad primævum
 indissolubilitatis statum reduxit. Hinc
 talis conversus tenetur redire ad pri-
 mam, si ipsa sine dispendio salutis aut
 contumelia Creatoris velit cohabitare,
 quia per ipsum baptismum non dissolvi-
 tur, juxta h. c. & dicta in *Nuc. Theol. Ex.*
 28. n. 4. §. *Nihilominus*. N. D. S. *Kilianus*
 sollicitè curavit, ut Gobertus Dux Fran-
 ciæ Orientalis suscepto baptisimo dimit-
 teret Gelianam, quæ prius fuerat uxor
 fratris defuncti, ergo censebat, quòd licitè
 eam retinere non posset. *Nam* &. quòd
 licet matrimonium in infidelitate con-
 tra Sacros Canones contractum sustinea-
 tur post baptismum, id tamen proce-
 dat, quando celebratum fuit juxta leges
 suæ patriæ; unde cum Legibus Franco-
 rum prohibitum esset matrimonium cum
 relicta fratris, ut constat ex *L. Salica*
T. 14. §. 18. ideo matrimonium nul-
 lum fuit in ipsa Gentilitate contractum,
 utpote contra Leges Patrias, quare
 post Baptismum sustineri non poterat.

Ita Gonz. h. c. n. 12. Vide Nucl. Theol.
Exam. 29. n. 1.

3. Ex his patet, si vir & mulier in infidelitate commiserint triplex crimen aliàs inducens impedimentum dirimens, suscepto Baptismo, utpote tollente crimina, validè contrahere. Econtra eos ob consanguinitatem, vel affinitatem etiam ex copula illicita in infidelitate contractam, post baptismum esse impeditos, quia jam subsunt legibus Ecclesiasticis quoad matrimonia contrahenda. N. D. Si vir in infidelitate baptizasset prolem sponsæ aut contraxisset cum hujus sorore sponsalia, posset eam ducere, ergo etiam, si sororem illius antea cognovisset. Nam R. N. C. Disp. est, quòd impedimentum Cognationis spiritualis & Publicæ Honestatis oriatur ex lege merè Ecclesiastica non fundata super aliquo in ipsis post Baptismum remanente, quæ non respicit eos, qui foris sunt, seu actus extra Ecclesiam commissos; Econtra impedimentum affinitatis, ut notat Pirb. h. t. n. 52. oritur ex lege respiciente vinculum naturale amicitia, instar consanguinitatis, ortum ex copula licita vel illicita, per quam duo fiunt una caro; quod quia manet in baptizatis, hi lege comprehenduntur. Sic in simili, quamvis irregularitas

proveniens ex delicto, v. g. homicidio vel mutilatione, non afficiat Neo-baptizatos, qui tale in infidelitate patrârunt, quia crimina per baptismum dimittuntur; tamen in ipsis exurgit Irregularitas orta ex defectu, qui in ipsis post baptismum manet, juxta dicta in *Nucl. Theol. Exam. 33. n. 1.* Hinc si quis in infidelitate habuisset duas uxores, aut unam ante, alteram post baptismum, foret irregularis ob Bigamiam ex defectu mysticæ significationis unionis Christi cum Ecclesia unica sponsa & Virgine, quem defectum Baptismus non tollit; uti nec vinculum affinitatis in infidelitate contractum.

4. Quæres, an Matrimonia Hæreticorum, uti Paganorum & Judæorum, in gradibus Jure Ecclesiastico dirimentibus post obtentam à Consistorio A catholicis dispensationem contracta sint valida? R. Communiorem, certiore ac probabiliorem esse sententiam à Facultate Theologica Viennensi anno 1655. approbatam, omnia talia matrimonia esse prorsus invalida; quia cum per Baptismum notoriè sint subjecti Ecclesiæ seu Rom. Pontifici Christi Vicario, Canonicis Constitutionibus arctantur, ut distinctio Canonica in consanguinitate & affinitate ab ipsis, procul dubio, attendi debeat. *Arg. C. 9. supra.*

Quamvis nonnulli RR. TT. censeant, per consuetudinem Hæreticorum legibus Canonicis statuentibus impedimenta esse derogatum; (quamvis ea, ut ait Pontifex *C. quod super 5. de Consang. & Affin.* dicenda sit potius corruptela, quæ, estò immemorialis, non habet vim abrogandi Canones præsertim irritantes citra expressum Papæ consensum, ut per se notum, & sæpius à S. Congregatione declaratum, ac à Rota decisum, teste Nicolartus *ad Concord. Tit. 3. Dub. 2. §. 19.*) Nullo in nixi fundamento, ut ait *Reiffenst. L. 5. T. 3. n. 146.* Si enim Consuetudines Hæreticorum valerent contra Leges Ecclesiasticas, nullis amplius obligarentur, cum contra omnes induxerint consuetudinem, nec sit major ratio, cur potius valeret contra unam & non contra aliam; quorum sententia non est certò probabilis, sed ad summum dubiæ probabilitatis, eò quòd Sapientes illi non fidant, signanter *Wiestner* apud *Schmaltzgr. L. 4. T. 1. n. 379.* eaque teste *Gobaht in Exper. Tr. 9. n. 57.* sit contra stylum & determinationem Curia Romanæ, adeoque vi illius matrimonium contrahi non potest ob damnationem Prop. 1. ab INNOC. XI. juxta tradita à Cardena *in dictam Prop. n. 533.* Nec Judex Ecclesiasticus pro ejus valore pronuntiare

potest

potest; aliàs juxta eam quoque sententiam licitum foret matrimonium contrahere, illudque suadere, conformiter traditis à *Card. l. c. n. 568. & seq. & in Nucl. Theol. Ex. 31. n. 2.* quia semper licitum est contrahere cum impedimento dubio dubietate juris. Unde *Gobart l. c. n. 58. & n. 61.* rotundè afferit, A catholicam, quæ contraxit in tertio vel quarto gradu consanguinitatis, licitè & validè transire ad alia vota, eamque facultatem nubendi alteri viro, non obstante quòd prior adhuc esset superstes, à Curia Episcopali licitè indulgeri, idque dicit se habere pro moraliter certo. Adde novissimum Decretum S. Congregationis in una Paderborn. *Cum contractum fuerit in loco, in quo Concilium Trid. fuit acceptatum, matrimonium inter Comitem de Schaumburg & Lippe, sectæ Lutherane, & ejusdem sectæ mulierem, non Parocho Catholico, sed juxta ritum & praxin Protestantium, prædictum matrimonium fuit nullum declaratum ab Episcopo Paderbornensi unà cum ejus Suffraganeo Episcopo Thiatis, & in simul data facultas transiendi ad alia vota, idem Comes supplicat pro dictæ Sententiæ confirmatione; & die 4. Augusti 1725. Sacra Congregatio Eminentiſſ. S. R. Cardinalium Conc. Tridentini interpretum censuit, dandum esse Decretum*

538 LIBER IV. DECRETALIUM.
editum die 26. Septembris 1602. & à Summo Pontifice confirmatum tenoris sequentis, videlicet: Hæreticos quoque, ubi Decretum C. 1. sess. 24. de Reform. Matrimonij est publicatum, teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilij, quamvis contracta coram Ministro hæretico vel Magistratu loci, nulla atque irrita esse.

5. Nihilominus transmissio an cum aliquali probabilitate sustineri fortè possit, per consuetudinem Hæreticorum esse derogatum Legibus Ecclesiasticis circa varia impedimenta, v. g. clandestinitatis, cognationis spiritualis, consanguinitatis in tertio & quarto gradu, affinitatis in secundo gradu æquali &c. super quibus ab ipsis non solet à Consistoriis de facto amplius peti dispensatio; nullâ tamen probabilitate videtur admitti posse, quòd matrimonia contracta cum impedimentis Juris Ecclesiastici, quæ non tantum apud Catholicos, sed & apud heterodoxos ab initio suæ sectæ recepta in suo semper permanferunt vigore seu viridi observantia, cum contra ea per consuetudinem non sit præscriptum, censenda sint valida citra legitimam dispensationem, v. g. in primo gradu affinitatis, aut in secundo gradu consanguinitatis mixto ex primo, aut
etiam

etiam in secundo gradu consanguinitatis æquali. Ideoque teste *Gob. l. c. n. 56.* matrimonia in secundo gradu æquali ab hæreticis contracta in Bohemia & Silesia ab Episcopis nunquam habita sunt pro legitimis. Nec juvat hæreticos dispensatio suorum Consistoriorum. *Nam* quamvis ea perperam sibi usurpaverint hanc facultatem dispensandi in matrimonialibus, eam tamen nullâ consuetudine aut præscriptione etiam immemoriali acquirere potuerunt, cum laici sint jurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces. Neque dici potest, quòd datâ à Consistorio Dispensatione per tacitum consensum Pontificis talia matrimonia approbentur. *Nam* id merè divinatorium est, nullâ nixum ratione, auctoritate aut probabilitate; quomodo enim dici potest, Sedem Apost. quæ ab hæreticis rogata ad Dispensationem in gradibus dirimentibus concedendam constanter eam expressè negat, donec convertantur, eandem tacitè concedat? Et cur vult eos conversos, post obtentam dispensationem, matrimonia sic contracta revalidare, & ad hunc effectum Episcopis Germaniæ concedit extraordinariam Facultatem dispensandi cum hæreticis conversis in matrimoniis contractis in gradu secundo simplici & mixto, si ea tanquam

valida

valida pro priori approbâset? Denique à fortiori præsumendus esset tacitus consensus Pontificis circa talia matrimonia etiam citra dispensationem Consistorialem contracta, (quod nemo dixerit, cum proles ex talibus procreatæ apud omnes, ipsos etiam Acatholicos, habeantur pro illegitimis) nec Papa videatur velle ipsis sacrilegis Dispensationibus Consistoriorum præstare quasi auctoritatem seu vim saltem occasionaliter validandi talia matrimonia. Unde juxta principia Catholica à Judice Ecclesiastico contra valorem matrimoniorum cum impedimentis non præscriptis ab ipsis contractorum videtur pronuntiandum, non obstante, quòd hæretici stent pro eorum valore; nam etiam juxta sua principia heterodoxa volunt matrimonia Presbyteri Apostatæ cum Berta Acatholica, aut contracta post dissolutionem prioris ob adulterium quoad thorum & vinculum à Consistorio quasi per libellum repudii factam esse valida, quæ tamen Ecclesia juxta sua certa principia publicè tanquam exitialia, irrita & nulla declarat, & velut manifestè sacrilega damnat. Nec suffragatur talibus matrimoniis in gradu dirimente contractis possessio. *Nam licet sæpè stante vero dubio ex possessione manuteneatur matri-*

monium quoad licitum usum conjugii, ex ea tamen nequit declarari validum, quia possessio non est sufficiens ad ferendam sententiam in articulo proprietatis; quando autem movetur lis circa valorem matrimonii, movetur circa articulum proprietatis, quæ juxta principia moraliter certa est definienda. Verùm proles ex tali matrimonio procreatæ non censerentur illegitimæ, sed gauderent omni jure legitimorum, quia ad hoc sufficit bona fides saltem alterutrius parentis, juxta dicta supra *T. 17. n. 5. Lac. L. 6. p. 3. n. 772.*

EX TITULO XX. I. C. I. „Mulieres, cum
 „pro aliqua licita causa à propriis viris
 „fuerint separatæ, totam Dotem præcipit
 „Concilium sibi reddi. C. 4. Si verò ali-
 „qua mulier ob causam suæ fornicationis
 „judicio Ecclesiæ, aut propriâ voluntate
 „à viro suo recedit, nec postea reconcilia-
 „ta est eidem, inde, defuncto ipso, dotem
 „vel dotalitium suum repetere non potest.
 Imò *Pichler Decis. 143.* censet tanquam ve-
 rius, quòd etiam mulier ob fornicatio-
 nem post obitum mariti seu tempore vi-
 duitatis patratam amittat jus repetendi
 Dotem. Quid sit Dos & Dotalitium, i. e.
 Donatio viri propter nuptias? Vide in
Nucl. Theol. Exam. 8. n. 4. §. 1.

2. C. 3. „Secundùm jura, qui de matri-

mo.

„ monio principaliter cognovit, (ut Judex
 „ Ordinarius vel Delegatus) & de Dote,
 „ quæ est causa incidens, accessorie co-
 „ gnoscere potest, & sententialiter diffi-
 „ nire. Nec obstat, quòd c. 7. Tit. *qui filii*
 „ *sint legitimi* rescribat Pontifex: Judicem
 „ Ecclesiasticum, qui virtute Rescripti
 „ Apost. principaliter de causa legitimita-
 „ tis matrimonii cognoscit, debere relin-
 „ quere potestati sæculari iudicium super
 „ possessione terrarum, quia ad Ecclesiam
 „ non pertinet de talibus possessionibus
 „ iudicare. *Nam* causa dotis est accessoria
 „ matrimonio, à quo pendet; causa posses-
 „ sionis bonorum, hæreditatis non paternæ
 „ &c. est merè sæcularis & prorsus dispa-
 „ rata, adeoque per se spectans ad iudicium
 „ sæculare. N. D. Judex sæcularis, qui de
 „ causa principali cognoscit, nequit pro-
 „ nuntiare de Ecclesiastica accessoria seu in-
 „ cidenti, ergo nec Ecclesiasticus de causa
 „ sæculari, v. g. Dotis &c. accessoria & in-
 „ cidenti. *Nam* 14. N. C. Disp. est, quòd Ju-
 „ dex Ecclesiasticus in ordine ad causas
 „ temporales non sit incapax jurisdictionis,
 „ quam etiam laici in ipsum prorogare pos-
 „ sunt, adeoque ne continentia causarum
 „ contra leges dividatur, etiam illas solum
 „ incidenter in suum iudicium deductas,
 „ v. g. causam Dotis, alimentorum, paternæ

hæreditatis &c. matrimonio accessorias tractare & decidere jura ipsi permittunt: Econtra Judex sæcularis, cum sit incapax jurisdictionis spiritualis, de causis Ecclesiasticis v. g. matrimonii, Natalium, juris Patronatûs &c. Si incidenter in ejus judicio moveantur, jura non permittunt ipsi, etiam si accessorie proponantur, de iis cognoscere. Sic Judex sæcularis, si principaliter cognoscat de sævitia viri vel adulterio uxoris, (quæ sunt causæ mixti Fori) in ordine ad hæc delicta corrigenda vel punienda, propter ea tamen nequit decernere Divortium, quia de fœdere matrimonii seu jure & obligatione personali Conjugum quæ talium, utpote causa spirituali, ab alio quàm Ecclesiastico Judice jura non sinunt tractari; quamvis causâ sævitie vel adulterii coram Judice sæculari probatâ ac decisâ possit per ipsam partem innocentem, non per Judicem laicum utpote incompetentem, fieri divortium. Ita *Pichler Decis. 141. Vide L. 2. T. 1. n. 3. & T. 10. n. 2.*

3. C. 6. „ Consultus Pontifex, si aliqua
 „ data fuerit terra alicui, non in hæredita-
 „ tem vel Feudum, sed tantum sibi, quoad
 „ vixerit, possidenda; & ipse postmodum
 „ tertiam partem uxori suæ in Dotalitium
 „ concefferit, utrum defuncto viro uxor
 „ præ-

„ præfatam tertiam partem habere debeat
 „ & tenere? Respondet: Cùm nullus plus
 „ juris in alium transferre debeat, quam
 „ eum constet habere; vir, cui terra præ-
 „ dicto modo conceditur, non potest uxori
 „ relinquere, quod non licuit ipsi, nisi
 „ quoad vixerit, possidere; nec licet uxori
 „ partem illius terræ in donationem pro-
 „ pter nuptias ex viri concessione tenere,
 „ nisi Dominus illius terræ voluerit con-
 „ sentire; nam licet Ecclesia in causis vi-
 „ duarum se favorabiliorem debeat exhi-
 „ bere, contra justitiam tamen non est eis
 „ favor Ecclesiasticus concedendus.

4. C. 8. „ Donatio, quæ constante ma-
 „ trimonio inter conjuges dicitur esse
 „ facta, (ex qua alter locupletior, & pau-
 „ perior alter efficitur) firmitatem non
 „ habet, nisi donatoris obitu confirmetur;
 „ quæ etiam penitus evanescit, si revoce-
 „ tur ab eo tacitè vel expressè, vel qui do-
 „ natum accepit, prius debitum naturæ
 „ persolvat. Sanè soluto matrimonio, sicut
 „ dos ad mulierem, sic & donatio propter
 „ nuptias redit ad virum. Unde quamvis
 „ teneat donatio inter sponsum & sponsam,
 „ inter virum tamen & uxorem est prohi-
 „ bita, ne mutuo amore invicem spoliem-
 „ tur, donationibus non temperantes, sed
 „ profusâ erga se facilitate utentes, ut ait
 „ U.

Ulpianus in L. l. ff. b. t. Nihilominus in variis casibus talis donatio inter conjuges subsistit, v. g. si adjiciatur juramentum; si sit remuneratoria; si uxor donat marito causâ adipiscendæ Dignitatis; si fiat ad restaurationem domûs igne consumptæ; item si fiat favore Religionis, v. g. ut locus sacer ædificetur, quia tunc alter non fit locupletior; si sint donationes reciprocæ, aut donata sint exigui pretii, sumpto argumento à contrario sensu. Ita DD. *ad b. c.*

EX TITULO XXI. & ult. l. c. l. „Ca-
 „pellanus, quem benedictionem cum se-
 „cunda constitit celebrâsse, ab officio
 „beneficiôque sit suspensus. Et C. 3. Vir
 „autem & mulier ad Bigamiam transiens
 „non debet à Presbytero benedici; quia
 „cùm aliâ vice benedicti sint, eorum be-
 „nedictio iterari non debet. Ratio, quia
 „indecens esse videtur, ut solemnes bene-
 „dictiones, quales sunt consecratio Eccle-
 „siæ vel Altarium, benedictiones Abba-
 „tum, Virginum & Nuptiarum &c. in ea-
 „dem re vel persona iterentur; & hinc
 „benedictio Abbatis vel Abbatissæ iterari
 „non debet, quamvis ad aliam Abbatiam
 „transferatur, ut probat Tamburinus *de*
Jure Abb. Verùm quamvis de jure non
 „sit in nuptiis adhibenda benedictio, licet

una pars tantum esset benedicta, cum
 in illo maneat benedictio, & una pars
 absque altera benedici nequeat; ex ho-
 dierna tamen consuetudine & praxi se-
 cundæ Nuptiæ benedicuntur, quando
 alterutra tantum pars, sive vir, sive fe-
 mina, benedictionem accepit; & solum
 benedictio est prohibita, si utraque pars
 illam accepit in primis nuptiis. Ita DD
 passim.

2. C. 2. „Super matrimoniis, quæ quæ-
 „dam nondum habitâ obeuntis conjugis
 „certitudine contraxerunt, consultus Lu-
 „cius III. rescripsit, ut nullus amodò ad
 „secundas nuptias migrare præsumat,
 „donec ei firmâ certitudine constet, quod
 „ab hac vita migraverit conjux ejus. Si
 „verò aliquis vel aliqua id hætenus non
 „servavit, & de morte prioris conju-
 „gis adhuc æstimat sibi dubitandum, ei
 „quæ sibi nupsit, debitum non denegat
 „postulanti, quod à se tamen noverit
 „nullatenus exigendum. Quòd si post
 „hæc de prioris conjugis vita constiterit,
 „relictis adulterinis illicitisque complexi-
 „bus ad priorem sine dubio conjugem
 „revertatur. De hoc vide *Nucl. Theol.*
Exam. 30. n. 10. & Exam. 31. n. 3.

3. C. 5. & ult. „Mulier licet post viri
 „obitum intra tempus luctûs (scilicet
 „unius

„unius anni spatium) nubit, quia con-
 „cessâ sibi ab Apostolo *1 Cor. 7. v. 39.* uti-
 „tur potestate, non debet legalis infamiæ
 „sustinere jacturam, cum in his præ-
 „sertim sæculares leges non dedignen-
 „tur sacros Canones imitari. Verùm
 „quamvis vidua non subjaceat pœnis à Le-
 „ge Civili latis in odium secundarum
 „nuptiarum, v. g. infamiæ, amissionis
 „Dotis &c. subjacet tamen iis, quæ à Lege
 „principaliter sunt statutæ in favorem
 „liberorum prioris matrimonii, v. g. quòd
 „amittat proprietatem bonorum à viro
 „obvenientium, quæ liberis prioris ma-
 „trimonii reservare debet, solum usu-
 „fructu ad dies vitæ gaudens; quòd amit-
 „tat tutelam liberorum prioris matri-
 „monii; quòd perdat privilegia honoris
 „& immunitatis ratione prioris matri-
 „monii habita, gaudens impofterum so-
 „lis privilegiis ratione posterioris ma-
 „riti sibi competentibus, &c. de qui-
 „bus vide Sanchez *L. 7. de Matrimon.*
 „D. 88.

